

Sénèque Médée Texte latin Perseus L. Annaeus Seneca. Tragoediae. Rudolf Peiper. Gustav Richter. Leipzig. Teubner. 1921. Corrigé en fonction du texte établi par Léon Hermann Les Belles Lettres, 1924 et de quelques variantes; ponctuation parfois modifiée . Variantes textuelles indiquées en regard des vers. Des indications de prosodie et de métrique (d'après Jacqueline Dangel, Le Poète Architecte, ed. Peeters, 2001);

Les diverbia parlés sont en trimètres iambiques (683 vers) ; 12 tétramètres trochaïques pour les récitatifs ; 47 dimètres iambiques (épodes) ; 135 anapestes ; 90 mètres horatiens saphiques en stances ; 60 vers en cantica mutatis modis (asclépiades / glyconiques/ asclépiades) ;

1-55 <Scaena Corinthi. Ara pro Medeae et Iasonis domo, Medea orans > trimètres iambiques

Medea

Di conjugales tuque genialis tori,
 Lucina, custos quaeque domitiram freta
 Tiphyn novam frenare docuisti ratem,
 et tu, profundi saeve dominator maris,
 clarumque Titan dividens orbi diem, 5
 tacitisque praebens conscium sacris jubar
 Hecate triformis, quosque juravit mihi
 deos Iason, quosque Medeae magis
 fas est precari: noctis aeternae chaos,
 aversa superis regna manesque impios 10
 dominumque regni tristis et dominam fide
 meliore raptam, voce non fausta precor .
 Nunc, nunc adeste, sceleris ultrices deae,
 crinem solutis squalidae serpentibus,
 atram cruentis manibus amplexae facem, 15
 adeste, thalamis horridae quondam meis
 quales stetitis : conjugii letum novae
 letumque socero et regiae stirpi date, ;
 mihi pejus aliquid, quod precer sponso, malum: aliquid :E ; aliud : Richter corr
 vivat, per urbes erret ignotas egens 20
 exul, pavens, invisus, incerti laris ;
 me conjugem optet, limen alienum expetat

jam notus hospes, quoque non aliud queam
pejus precari, liberos similes patri
similesque matri pariat . Jam parta ultio est : 25
peperi . Querelas verbaque in cassum sero .

Non ibo in hostes ? Manibus excutiam faces
caeloque lucem . Spectat hoc nostri sator
Sol generis, et spectatur, et curru insidens
per solita puri spatia decurrit poli ? 30

Non redit in ortus et remetitur diem ?
Da, da per auras curribus patriis vehi,
committe habenas, genitor, et flagrantibus
ignifera loris tribue moderari juga :
gemino Corinthos litore opponens moras 35
cremata flammis, maria committat duo .
Hoc restat unum, pronubam thalamo feram
ut ipsa pinum postque sacrificas preces
caedam dicatis victimas altaribus .

Per viscera ipsa quaere supplicio viam, 40
si vivis, anime, si quid antiqui tibi
remanet vigoris ; pelle femineos metus
et inhospitalem Caucasum mente indue .

Quodcumque vidit Pontus aut Phasis nefas,
videbit Isthmos. Effera, ignota, horrida, 45
tremenda caelo pariter ac terris mala

mens intus agitat ; vulnera et caedem et vagum
funus per artus ; — levia memoravi nimis :
haec virgo feci ; gravior exurgat dolor ;
majora jam me scelera post partus decent . 50

Accingere ira teque in exitium para
furore toto. Paria narrentur tua
repudia thalamis : quo virum linques modo ?
Hoc quo secuta es. — Rumpe jam segnes moras :
quae scelere parta est, scelere linquenda est domus . 55

56-115

métrique : canticum mutatis modis

Chorus I < Chorus Corinthiorum in orchestra >

Ad regum thalamos numine prospero
qui caelum superi quique regunt fretum
adsint cum populis rite faventibus .

asclépiades

Primum sceptriferis colla Tonantibus
taurus celsa ferat tergo candido ; 60

Lucinam nivei femina corporis
intemptata jugo placet et asperi
Martis sanguineas quae cohibet manus,
quae dat belligeris foedera gentibus
et cornu retinet divite copiam, 65
donetur tenera mitior hostia .

Et tu, qui facibus legitimis ades,
noctem discutiens auspice dextera ,
huc incede, gradu marcidus ebrio,
praecingens roseo tempora vinculo . 70

Et tu quae, gemini praevia temporis,
tarde, stella, redis semper amantibus :
te matres, avide, te cupiunt nurus
quamprimum radios spargere lucidos .

Vincit virgineus decor 75 glyconiques

longe Cecropias nurus,
et quas Taygeti jugis
exercet, juvenum modo,
muris quod caret oppidum,
et quas Aonius latex 80

Alpheosque sacer lavat .
Si forma velit aspici,
cedent Aesonio duci
proles fulminis improbi
aptat qui juga tigribus , 85
nec non, qui tripodas movet,

frater virginis asperae ; cedet Castore cum suo Pollux caestibus aptior . Sic, sic, caelicolae, precor, vincat femina conjuges, vir longe superet viros .	90	
Haec cum femineo constitit in choro, unius facies praenitet omnibus . Sic cum sole perit sidereus decor, et densi latitant Pleiadum greges cum Phoebe solidum lumine non suo orbem circuitis cornibus alligat . Ostro sic niveus puniceo color perfusus rubuit, sic nitidum jubar pastor luce nova roscidus aspicit.	95	asclépiades mineurs
Ereptus thalamis Phasidis horridi, effrenae solitus pectora conjugis invita trepidus prendere dextera, felix Aeoliam corripe virginem nunc primum soceris, sponse, volentibus . Concesso, juvenes, ludite jurgio ; hinc, illinc, juvenes, mittite carmina : rara est in dominos justa licentia . Candida thyrsigeri proles generosa Lyaei, multifidam jam tempus erat succendere pinum : excute sollemnem digitis marcentibus ignem . Festa dicax fundat convicia fescenninus , solvat turba jocos, — tacita eat illa tenebris, si qua peregrino nubit fugitiva marito.	100 105 110 115	<i>horridi E ; horridis : A</i>

Occidimus, aures pepulit hymenaeus meas .

Vix ipsa tantum, vix adhuc credo malum.

Hoc facere Jason potuit, erepto patre

patria atque regno, sedibus solam exteris

deserere, durus ? Merita contempsit mea 120

qui scelere flammis viderat vinci et mare ?

Adeone credit omne consumptum nefas ?

Incerta, vaecors, mente vaesana feror

partes in omnes ; unde me ulcisci queam ?

Utinam esset illi frater ! est conjunx : in hanc 125

ferrum exigatur. Hoc meis satis est malis ?

Si quod Pelasgae, si quod urbes barbarae

novere facinus quod tuae ignorent manus,

nunc est parandum . Scelera te hortentur tua

et cuncta redeant : inclitum regni decus 130

raptum et nefandae virginis parvus comes

divisus ense, funus ingestum patri

sparsumque ponto corpus et Peliae senis

decocta aeno membra : funestum impie

quam saepe fudi sanguinem , et nullum scelus 135

irata feci : saevit infelix amor.

saevit : ω; suasit : R.Peiper;

Quid tamen Jason potuit, alieni arbitri

jurisque factus ? Debuit ferro obvium

offerre pectus : — melius, a melius, dolor

furiose, loquere . Si potest, vivat meus, 140

ut fuit, Jason ; si minus, vivat tamen

memorque nostri muneris, pereat mihi . *muneris : E; muneri : A/ pereat : Hermann; parcat : ω*

Culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens

conjugia solvit quique genetricem abstrahit

gnatis et arto pignore astrictam fidem 145

dirimit : petatur solus hic, poenas luat

quas debet . Alto cinere cumulabo domum ;

videbit atrum verticem flammis agi

Malea longas navibus flectens moras.

Nutrix

Sile, obsecro, questusque secreto abditos 150
manda dolori . Gravia quisquis vulnera
patientae et aequo mutus animo pertulit,
referre potuit : ira quae tegitur nocet ;
professa perdunt odia vindictae locum.

Medea

Levis est dolor qui capere consilium potest 155
et clepere sese : magna non latitant mala .
Libet ire contra.

Nutrix

Siste furialem impetum,
alumna : vix te tacita defendit quies .

Medea

Fortuna fortes metuit, ignavos premit .

Nutrix

Tunc est probanda, si locum virtus habet . 160

Medea

Numquam potest non esse virtuti locus .

Nutrix

Spes nulla rebus monstrat adflictis viam .

Medea

Qui nil potest sperare, desperet nihil .

Nutrix

Abiere Colchi, conjugis nulla est fides
nihilque superest opibus e tantis tibi . 165

Medea

Medea superest, hic mare et terras vides
ferrumque et ignes et deos et fulmina .

Nutrix

Rex est timendus .

Medea

Rex meus fuerat pater .

Nutrix

Non metuis arma ?

Medea

Sint licet terra edita .

Nutrix

Moriere .

Medea

Cupio .

Nutrix

Profuge .

Medea

Paenituit fugae . 170

Nutrix

Medea ...

Medea

Fiam .

Nutrix

Mater es .

Medea

Cui sim vides .

Nutrix

Profugere dubitas ?

Medea

Fugiam, at ulciscar prius .

Nutrix

Vindex sequetur .

Medea

Forsan inveniam moras .

Nutrix

Compesce verba, parce jam, demens, minis
animosque minue : tempori aptari decet . 175

Medea

Fortuna opes auferre, non animum potest ;

- sed cujus ictu regius cardo strepit ?

Ipse est Pelasgo tumidus imperio Creo .

179-300 *Creo, Medea, < Nutrix , famuli >*

trimètres iambiques

Creo

Medea, Colchi noxium Aeetae genus,
nondum meis exportat e regnis pedem ? 180

Molitur aliquid : nota fraus, nota est manus .

Cui parcat illa quemve securum sinet ?

Abolere propere pessimam ferro luem
equidem parabam : precibus evicit gener .

Concessa vita est ; liberet fines metu 185

abeatque tuta . Fert gradum contra ferox
minaxque nostros propius affatus petit .

Arcete, famuli, tactu et accessu procul ,

jubete sileat . Regium imperium pati

aliquando discat . - Vade veloci fuga 190 fuga : *E* ; via : *A*

monstrumque saevum horribile jamdudum avehe .

Medea

Quod crimen aut quae culpa multatur fuga ?

Creo

Quae causa pellat, innocens mulier rogat .

Medea

Si judicas, cognosce, si regnas, jube .

Creo

Aequum atque iniquum regis imperium feras . 195

Medea

Iniqua numquam regna perpetuo manent .

Creo

I, querere Colchis !

Medea

Redeo : qui advexit, ferat .

Creo

Vox constituto sera decreto venit .

Medea

Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
aequum licet statuerit, haud aequus fuit . 200

Creo

Auditus a te Pelia supplicium tulit ?
Sed fare ; causae detur egregiae locus !

Medea

Difficile quam sit animum ab ira flectere
jam concitatum quamque regale hoc putet
sceptris superbas quisquis admovit manus , 205
qua coepit ire , regia didici mea .
Quamvis enim sim clade miseranda obruta ,
expulsa, supplex, sola, deserta, undique
afflicta, quondam nobili fulsi patre
avoque clarum Sole deduxi genus . 210

Quodcumque placidis flexibus Phasis rigat
Pontusque quicquid Scythicus a tergo videt
palustribus qua maria dulcescunt aquis,
armata peltis quicquid exterret cohors
inclusa ripis vidua Thermodontiis, 215
hoc omne noster genitor imperio regit .
Generosa, felix, decore regali potens
fulsi : petebant tunc meos thalamos proci
qui nunc petuntur . Rapida fortuna ac levis
praecepsque regno eripuit, exilio dedit . 220

Confide regnis, cum levis magnas opes
huc ferat et illuc casus ; — hoc reges habent
magnificum et ingens, nulla quod rapiat dies :
prodesse miseris, supplices fido lare
protegere . — Solum hoc Colchico regno extuli : 225
decus illud ingens Graeciae et florem inclitum,
praesidia Achivae gentis et prolem deum
servasse memet . Munus est Orpheus meum
qui saxa cantu mulcet et silvas trahit,

geminumque numen Castor et Pollux meum est 230
 satique Borea quique , trans Pontum quoque,
 summota Lynceus lumine inmisso videt ,
 omnesque Minyae : nam ducem taceo ducum ,
 pro quo nihil debetur : hunc nulli imputo ;
 vobis revexi ceteros, unum mihi ; 235
 incesse nunc et cuncta flagitiaingere .

Fatebor : obici crimen hoc solum potest,
 Argo reversa . Virgini placeat pudor
 paterque placeat : tota cum ducibus ruet
 Pelasga tellus, hic tuus primum gener 240
 tauri ferocis ore flammanti occidet .
 Fortuna causam quae volet nostram premat,
 non paenitet servasse tot regum decus .
 Quodcumque culpa praemium ex omni tuli,
 hoc est penes te. Si placet, damna ream, 245
 sed redde crimen . Sum nocens, fateor, Creó :
 talem sciebas esse, cum genua attigi
 fidemque supplex praesidis dextra peti ;
 terra hac miseriis angulum ac sedem rogo
 latebrasque viles : urbe si pelli placet, 250
 detur remotus aliquis in regnis locus .

(dextra : *RE* ; dextrae *A* ;)

(terra hac : *A* *ψ* ; te tam : *Henneberger*)

Creo

Non esse me qui sceptris violentus geram
 nec qui superbo miseras calcem pede,
 testatus equidem videor haud clare parum
 generum exulem legendo et adflictum et gravi 255
 terrore pavidum, quippe quem poenae expetit
 letoque Acastus regna Thessalica optinens .
 Senio trementem debili atque aevo gravem
 patrem peremptum queritur et caesi senis
 discissa membra, cum dolo captae tuo 260
 piaesorores impium auderent nefas .

Potest Jason, si tuam causam amoves,

suam tueri : nullus innocuum cruor
contaminavit, afuit ferro manus
proculque vestro purus a coetu stetit . 265

Tu, tu malorum machinatrix facinorum,
cui feminae nequitia ad audenda omnia
robur virile est, nulla famae memoria,
egredere, purga regna, letales simul
tecum aufer herbas, libera cives metu, 270
alia sedens tellure sollicita deos .

Medea

Profugere cogis ? Redde fugienti ratem
et redde comitem : fugere cur solam jubes ?
Non sola veni . Bella si metuis pati,
utrumque regno pelle . Cur sontes duos 275
distinguis ? Illi Pelia, non nobis jacet ;
fugam, rapinas adice, desertum patrem
lacerumque fratrem, quicquid etiam nunc novas
docet maritus conjuges ; non est meum :
totiens nocens sum facta, sed numquam mihi. 280

Creo

Jam exisse decuit . Quid seris fando moras ?

Medea

Supplex recedens illud extremum precor,
ne culpa natos matris insontes trahat .

Creo

Vade : hos paterno ut genitor excipiam sinu .

Medea

Per ego auspicatos regii thalami toros , 285
per spes futuras perque regnorum status,
Fortuna varia dubia quos agitat vice,
precor, brevem largire fugienti moram,
dum extrema natis mater infigo oscula,
fortasse moriens. 290

Creo

Fraudibus tempus petis .

Medea

Quae fraus timeri tempore exiguo potest ?

Creo

Nullum ad nocendum tempus angustum est malis .

Medea

Parumne miserae temporis lacrimis negas ?

Creo

Etsi repugnat precibus infixus timor ,

unus parando dabitur exilio dies . 295

Medea

Nimis est, recidas aliquid ex isto licet :

et ipsa propero .

Creo

Capite supplicium lues ,

clarum priusquam Phoebus attollat diem

nisi cedis Isthmo . — Sacra me thalami vocant,

vocat precari festus Hymenaeo dies. 300

301 379 < Chorus Corinthiorum in orchestra >

métrique : dimètres anapestiques

Audax nimium qui freta primus

rate tam fragili perfida rupit

terrasque suas post terga videns

animam levibus credidit auris,

dubioque secans aequora cursu 305

potuit tenui fidere ligno,

inter vitae mortisque vias

nimum gracili limite ducto .

Nondum quisquam sidera norat

stellisque quibus pingitur aether 310

non erat usus, nondum pluvias

Hyadas poterat vitare ratis,

non Oleniae lumina Caprae ,
nec quae sequitur flectitque senex
Arctica tardus plaustra Bootes : 315
nondum Boreas, nondum Zephyrus
nomen habebant.

Ausus Tiphys pandere vasto
carbasa ponto
legesque novas scribere ventis : 320
nunc lina sinu tendere toto,
nunc prolato pede transversos
captare notos, nunc antemnas
medio tutas ponere malo,
nunc in summo religare loco , 325
cum jam totos avidus nimium
navita flatus optat et alto
rubicunda tremunt sipara velo .

Candida nostri saecula patres
videre , procul fraude remota . 330
Sua quisque piger litora tangens
patrioque senex factus in arvo,
parvo dives, nisi quas tulerat
natale solum, non norat opes .

Bene dissaepti foedera mundi 335
traxit in unum Thessala pinus
jussitque pati verbera pontum ,
partemque metus fieri nostri
mare sepositum. Dedit illa graves
improba poenas per tam longos 340
ducta timores, cum duo montes,
claustra profundis, hinc atque illinc ,
subito impulsu , velut aetherio
gemerent sonitu, spargeret astra
nubesque ipsas mare deprensum . 345

Palluit audax Tiphys et omnes

labente manu misit habenas,
Orpheus tacuit torpente lyra
ipsaque vocem perdidit Argo .

Quid cum Siculi virgo Pelori, 350
rabidos utero succincta canes,
omnes pariter solvit hiatus , omnes *A* ; omnis *E* ;
quis non totos horruit artus
totiens uno latrante malo?

Quid cum Ausonium dirae pestes 355
voce canora mare mulcerent,
cum Pieria resonans cithara
Thracius Orpheus, solitam cantu
retinere rates paene coegit
Sirena, sequi ? Quod fuit hujus 360
pretium cursus? Aurea pellis
majusque mari Medea malum,
merces prima digna carina .

Nunc jam cessit pontus et omnes
patitur leges : non Palladia 365
compacta manu regumque ferens
inclita remos quaeritur Argo ;
quaelibet altum cumba pererrat ;
terminus omnis motus et urbes
muros terra posuere nova, 370
nil qua fuerat sede reliquit
pervius orbis : Indus gelidum
potat Araxen , Albin Persae
Rhenumque bibunt. Venient annis
saecula seris, quibus Oceanus 375
vincula rerum laxet et ingens
pateat tellus Tethysque novos
detegat orbis nec sit terris
ultima Thule .

380 430 < Nutrix, Medea pro palatio >

trimètres iambiques

Nutrix

Alumna, celerem quo rapis tectis pedem ? 380

Resiste et iras comprime ac retine impetum .

- Incerta, qualis entheos gressus tulit
cum jam recepto maenas insanit deo
Pindi nivalis vertice aut Nysae jugis,
talis recursat huc et huc motu efferro, 385
furoris ore signa lymphati gerens .

Flammata facies ; spiritum ex alto citat,
proclamat, oculos uberi fletu rigat,
renidet : omnis specimen affectus capit .
Haeret ; minatur, aestuat, queritur, gemit. 390

Quo pondus animi verget ? ubi ponet minas ?
ubi se iste fluctus franget? Exundat furor :
non facile secum versat aut medium scelus ;
se vincet : irae novimus veteris notas .
Magnum aliquid instat, efferum, immane, impium : 395
vultum furoris cerno . Di fallant metum !

Medea

Si quaeris odio, misera, quem statuas modum ,
imitare amorem . Regias egone ut faces
inulta patiar ? Segnis hic ibit dies,
tanto petitus ambitu, tanto datus ? 400

Dum terra caelum media libratum feret
nitidusque certas mundus evolvit vices
numerusque harenis derit, et solem dies
noctemque sequentur astra, dum siccas polus
versabit Arctos, flumina in pontum cadent, 405
numquam meus cessabit in poenas furor
crescetque semper . Quae ferarum immanitas,
quae Scylla, quae Charybdis Ausonium mare
Siculumque sorbens quaeve anhelantem premens

Titana tantis Aetna fervebit minis ? 410

Non rapidus amnis, non procellosum mare

Pontusve Coro saevus aut vis ignium

adjuta flatu possit inhibere impetum

irasque nostras : sternam et evertam omnia .

Timuit Creontem ac bella Thessalici ducis ? 415

Amor timere neminem verus potest .

Sed cesserit coactus et dederit manus :

adire certe et conjugem extremo alloqui

sermone potuit . — Hoc quoque extimuit ferox ;

laxare certe tempus immitis fugae 420

genero licebat : — liberis unus dies

datus est duobus . Non queror tempus breve :

multum patebit . Faciet, hic faciet dies

quod nullus umquam taceat : — invadam deos

et cuncta quatiam . 425

Nutrix

Recipe turbatum malis,

era, pectus, animum mitiga .

Medea

Sola est quies

mecum ruina cuncta si video obruta :

mecum omnia abeant . Trahere, cum pereas, libet .

Nutrix

Quam multa sint timenda, si perstas, vide :

nemo potentes aggredi tutus potest . 430

430-559 Jason, Medea, <Nutrix>

trimètres iambiques

Jason

O dura fata semper et sortem asperam,

cum saevit et cum parcit ex aequo malam !

remedia quotiens invenit nobis Deus

periculis pejora : si vellem fidem
 praestare meritis conjugis, leto fuit 435
 caput offerendum ; si mori nollem, fide
 misero carendum . Non timor vicit fidem,
 sed trepida pietas : quippe sequeretur necem
 proles parentum . Sancta si caelum incolis
 Justitia, numen invoco ac testor tuum : 440
 nati patrem vicere . Quin ipsam quoque,
 etsi ferox est corde nec patiens jugi,
 consulere natis malle quam thalamis reor .
 Constituit animus precibus iratam aggredi .
 - Atque ecce, viso memet exiluit, furit, 445
 fert odia prae se : totus in vultu est dolor .

Medea

Fugimus, Jason , fugimus : hoc non est novum ,
 mutare sedes ; causa fugiendi nova est :
 pro te solebam fugere . Discedo , exeo :
 penatibus profugere quam cogis tuis , 450
 ad quos remittis ? Phasin et Colchos petam
 patriumque regnum quaeque fraternus cruor
 perfudit arva? Quas peti terras jubes ?
 Quae maria monstras? Pontici fauces freti
 per quas revexi nobilem regum manum, 455
 adulterum secuta per Symplegadas ?
 Parvamne lolcon, Thessala an Tempe petam ?
 Quascumque aperui tibi vias, clausi mihi . —
 Quo me remittis ? Exuli exilium imperas
 nec das . Eatur . Regius jussit gener . 460
 Nihil recuso . Dira suppliciaingere :
 merui . Cruentis paelicem poenis premat
 regalis ira, vinculis oneret manus,
 clausamque saxo noctis aeternae obruat :
 minora meritis patiar . — Ingratum caput, 465
 revolvat animus igneos tauri halitus

(ad quos remittis: *ω* ; at quo remittis : *Leo*)

interque saevos gentis indomitae metus
 armifero in arvo flammeum Aeetae pecus,
 hostisque subiti tela, cum jussu meo
 terrigena miles mutua caede occidit ; 470
 adice expetita spolia Phrixei arietis,
 somnoque jussum lumina ignoto dare
 insomne monstrum, traditum fratrem neci ,
 et scelere in uno non semel factum scelus,
 jussasque natas , fraude deceptas mea, 475
 secare membra non revicturi senis .

Aliena quaerens regna deserui mea .
 Per spes tuorum liberum et certum larem,
 per victa monstra, per manus, pro te quibus
 numquam peperci, perque praeteritos metus, 480
 per caelum et undas, conjugii testes mei,
 miserere, redde supplici felix vicem .
 Ex opibus illis, quas procul raptas Scythae
 usque a perustis Indiae populis agunt,
 quas quia referta vix domus gazas capit, 485(gazas ω; gaza Willamowitz; gazis : corr. Bentley)
 ornamus auro nemora, nil exul tuli
 nisi fratris artus : hos quoque impendi tibi ;
 tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor : —
 hac dote nupsi . — Redde fugienti sua .

Jason

Perimere cum te vellet infestus Creo, 490
 lacrimis meis evictus exilium dedit .

Medea

Poenam putabam : munus, ut video, est fuga.

Jason

Dum licet abire, profuge teque hinc eripe :
 gravis ira regum est semper .

Medea

Hoc suades mihi,
 praestas Creusae : paelicem invisam amoves . 495

Jason

Medea amores obicit ?

Medea

Et caedem et dolos .

Jason

Obicere tandem quod potes crimen mihi ?

Medea

Quodcumque feci .

Jason

Restat hoc unum insuper,
tuis ut etiam sceleribus fiam nocens .

Medea

Tua illa, tua sunt illa : cui prodest scelus, 500
is fecit ; — omnes conjugem infamem arguant,
solus tuere, solus insontem voca :
tibi innocens sit , quisquis est pro te nocens .

Jason

Ingrata vita est cujus acceptae pudet .

Medea

Retinenda non est cujus acceptae pudet. 505

Jason

Quin potius ira concitum pectus doma,
placare natis .

Medea

Abdico, ejuro, abnuo —
meis Creusa liberis fratres dabit ?

Jason

Regina natis exulum, afflictis potens .

Medea

Ne veniat umquam tam malus miseris dies, 510 (Ne veniat : *Bothe* ; Non veniat: *A*)
qui prole foeda misceat prolem inclitam ,
Phoebe nepotes Sisyphe nepotibus .

Jason

Quid, misera, meque teque in exitium trahis ? (*Avanti corr.* exilium)

Abscede, quaeso .

Medea

Supplicem audivit Creo.

Jason

Quid facere possim, loquere .

Medea

Pro me ? Vel scelus . 515

Jason

Hinc rex et illinc .

Medea

Est - et hic major metus - ,

Medea ; nos conflige ; certemus sine,

sit pretium Jason .

Jason

Cedo defessus malis .

Et ipsa casus saepe jam expertos time .

Medea

Fortuna semper omnis infra me stetit . 520

Jason

Acastus instat .

Medea

Propior est hostis Creo .

Utrumque profuge . Non ut in socerum manus

armes nec ut te caede cognata inquines

Medea cogit : innocens mecum fuge .

Jason

Et quis resistet, gemina si bella ingruant , 525

Creo atque Acastus arma si jungant sua ?

Medea

His adice Colchos, adice et Aeeten ducem,

Scythas Pelasgis junge : demersos dabo .

Jason

Alta extimesco sceptrum .

Medea

Ne cupias vide .

Jason

Suspecta ne sint, longa colloquia amputa . 530

Medea

Nunc summe toto Juppiter caelo tona,
intende dextram, vindices flammās para
omnemque ruptis nubibus mundum quate .
Nec deligenti tela librentur manu .

Vel me vel istum : quisquis e nobis cadet 535
nocens peribit ; non potest in nos tuum
errare fulmen .

Jason

Sana meditari incipe
et placida fare . Si quod ex soceri domo 540
potest fugam levare solamen, pete .
(*quod E ; quid A ;*)

Medea

Contemnere animus regias, ut scis, opes 540
potest soletque ; liberos tantum fugae
habere comites liceat in quorum sinu
lacrimas profundam . Te novi nati manent .

Jason

Parere precibus cupere me fateor tuis ;
pietas vetat : namque istud ut possim pati, 545
non ipse memet cogat et rex et socer ;
haec causa vitae est, hoc perusti pectoris
curis levamen. Spiritu citius queam
carere, membris, luce .

Medea

— Sic natos amat ?
Bene est, tenetur, vulnere patuit locus. — 550
Suprema certe liceat abeuntem loqui
mandata, liceat ultimum amplexum dare :
gratum est. Et illud voce jam extrema peto,
ne, si qua noster dubius effudit dolor,

maneant in animo verba ; melioris tibi 555
 memoria nostri sedeat ; haec irae data
 oblitterentur.

Jason

Omnia ex animo expuli,
 precorque et ipse, fervidam ut mentem regas
 placideque tractes ; miserias lenit quies.

< *Jason abit* >

 trimètres iambiques
560 578 Medea, Nutrix**Medea**

Discessit . Itane est? Vadis oblitus mei 560
 et tot meorum facinorum ? Excidimus tibi ?
 Numquam excidemus . Hoc age, omnes advoca
 vires et artes . Fructus est scelerum tibi
 nullum scelus putare . Vix fraudi est locus :
 timemur. Hac aggredere, qua nemo potest 565
 quicquam timere . Perge, nunc aude, incipe
 quicquid potest Medea, quicquid non potest .
 Tu, fida nutrix, socia maeroris mei
 varique casus, misera consilia adjuva .
 Est palla nobis, munus aetherium, domus 570
 decusque regni, pignus Aeetae datum
 a Sole generis ; est et auro textili
 monile fulgens quodque gemmarum nitor
 distinguit aurum, quo solent cingi comae .
 Haec nostra nati dona nubenti ferant , 575
 sed ante diris inlita ac tincta artibus .
 Vocetur Hecate . Sacra letifica appara :
 statuuntur arae, flamma jam tectis sonet .

v 579-669 Choeur

Strophes saphiques (3 hendécasyllabes saphiques + 1 adonique, jusqu'au v 651)

Nulla vis flammae tumidive venti
tanta, nec teli metuenda torti, 580
quanta , cum conjunx viduata taedis
ardet et odit ;

non ubi hibernos nebulosus imbres
Auster advexit properatque torrens
Hister et junctos vetat esse pontes 585
ac vagus errat ;

non ubi impellit Rhodanus profundum,
aut ubi in rivos nivibus solutis
sole jam forti medioque vere
tabuit Haemus. 590

Caecus est ignis stimulatus ira
nec regi curat patiturve frenos
aut timet mortem ; cupit ire in ipsos
obvius enses.

Parcite, o divi, veniam precamur, 595
vivat ut tutus mare qui subegit .
Sed furit vinci dominus profundi
regna secunda.

Ausus aeternos agitare currus
immemor metae juvenis paternae 600
quos polo sparsit furiosus ignes
ipse recepit .

Constitit nulli via nota magno :

vade qua tutum populo priori ,
 rumpe nec sacro violente sancta
 foedera mundi . 605

Quisquis audacis tetigit carinae
 nobiles remos nemorisque sacri
 Pelion densa spoliavit umbra,
 quisquis intravit scopulos vagantes 610
 et tot emensus pelagi labores
 barbara funem religavit ora
 raptor externi rediturus auri,
 exitu diro temerata ponti
 jura piavit . 615

Exigit poenas mare provocatum :
 Tiphys in primis, domitor profundis,
 liquit indocto regimen magistro ;
 litore externo, procul a paternis
 occidens regnis tumuloque vili 620
 tectus, ignotas jacet inter umbras .
 Aulis amissi memor inde regis
 portibus lentis retinet carinas
 stare querentes.

Ille vocali genitus Camena, 625
 cujus ad chordas modulante plectro
 restitit torrens, siluere venti,
 cui suo cantu volucris relicto

(cui : A ; cum : *Leo correxit*)

adfuit, tota comitante silva,
 Thracios sparsus jacuit per agros, 630
 at caput tristi fluitavit Hebro :
 contigit notam Styga Tartarumque,
 non rediturus .

Stravit Alcides Aquilone natos,
 patre Neptuno genitum necavit 635
 sumere innumeras solitum figuras :

vers saphique 4^{ème} syllabe dissociée

ipse post terrae pelagique pacem,
post feri Ditis patefacta regna,
vividus ardenti recubans in Oeta
praebuit saevis sua membra flammis, 640
tabe consumptus gemini cruoris
munere nuptae .

Stravit Ancaeum violentus ictu
saetiger ; fratres, Meleagre, matris (fratres : ψ ; fratrem : *E A*)
impius mactas morerisque dextra 645
matris iratae . Meruere cuncti .
Morte quod crimen tener expiavit
Herculi magno puer inrepertus,
raptus, heu, tutas puer inter undas ?
Ite nunc, fortes, perarate pontum, 650
fonte timendo .

Idmonem, quamvis bene fata nosset,
condidit serpens Libycis harenis ;
omnibus verax, sibi falsus uni
concidit Mopsus caruitque Thebis . 655
Ille si vere cecinit futura ,
exul errabit Thetidis maritus ;
igne fallaci nociturus Argis
Nauplius praeceps cadet in profundum
patrioque pendet crimine poenas 660
fulmine et ponto moriens Oileus ;
conjugis fatum redimens Phraei
uxor impendes animam marito .

Ipsa qui praedam spoliūque jussit
aureum prima revehi carina , 665
ustus accenso Pelias aeno ,
arsit angustas vagus inter undas :
jam satis, divi, mare vindicastis :

parcite jusso .

scansion :

hendécasyllabe saphique : 11 syllabes : - ---/˘ - - (-ou˘)

adonique : 5 syllabes : -˘ - (- ou˘)

670 739 *Nutrix*

trimètres iambiques

Nutrix

Pavet animus, horret ; magna perniciēs adest . 670

Immane quantum augescit et semet dolor
accendit ipse vimque praeteritam integrat .

Vidi furem saepe et adgressam deos,
caelum trahentem : majus his, majus parat
Medea monstrum. Namque ut attonito gradu 675

evasit et penetrare funestum attigit,
totas opes effundit et quicquid diu (effudit :ω; effundit :Leo corr.)

etiam ipsa timuit , promittit atque omnem explicat
turbam malorum, arcana, secreta, abdita,
et triste laeva comprecans sacrum manu, 680 (comprecans *E* ;complicans *A*; comparans : Bücheler)

pestes vocat quascumque ferventis creat
harena Libyae quasque perpetua nive
Taurus coercet frigore Arctoo rigens ,
et omne monstrum . Tracta magicis cantibus
squamifera latebris turba desertis adest . 685

Hic saeva serpens corpus immensum trahit
trifidamque linguam exertat et quaerit quibus
mortifera veniat : carmine audito , stupet
tumidumque nodis corpus aggestis plicat
cogitque in orbes . « Parva sunt, inquit , mala 690
et vile telum est, ima quod tellus creat :
caelo petam venena . Jam, jam tempus est
aliquid movere fraude vulgari altius .

Huc ille , vasti more torrentis jacens ,
 descendat anguis, cujus immensos duae, 695
 major minorque , sentiunt nodos ferae
 (major Pelasgis apta, Sidoniis minor)
 pressasque tandem solvat Ophiuchus manus
 virusque fundat ; adsit ad cantus meos
 laccessere ausus gemina Python numina, 700
 et Hydra et omnis redeat Herculeae manu
 succisa serpens, caede se reparans sua .
 Tu quoque relictis pervigil Colchis ades,
 sopite primum cantibus, serpens, meis. »

Postquam evocavit omne serpentum genus , 705
 congerit in unum frugis infaustae mala :
 quaecumque generat invius saxis Eryx ,
 quae fert opertis hieme perpetua jugis
 sparsus cruore Caucasus Promethei ,
 et quis sagittas divites Arabes linunt
 pharetraque pugnax Medus aut Parthi leves, 710
 aut quos sub axe frigido sucos legunt
 lucis Suevi nobiles Hyrcaniis , (Suevi , Hercyniis: *A* ; Suebae, Hyrcaniis : *E* ;)
 quodcumque tellus vere nidifico creat
 aut rigida cum jam bruma discussit decus 715
 nemorum et nivali cuncta constrinxit gelu ,
 quodcumque gramen flore mortifero viret ,
 cujusque torti sucus in radicibus (dirusve : *A* ; cujusque : *corr Mueller* ;)
 causas nocendi gignit, attrectat manu .

Haemonius illas contulit pestes Athos, 720
 has Pindus ingens, illa Pangaei jugis
 teneram cruenta falce deposuit comam ;
 has aluit altum gurgitem Tigris premens,
 Danuvius illas, has per arentes plagas
 tepidis Hydaspes gemmifer currens aquis, 725
 nomenque terris qui dedit Baetis suis
 Hesperia pulsans maria languenti vado .

Haec passa ferrum est, dum parat Phoebus diem,
 illius alta nocte succisus frutex ,
 at hujus ungue secta cantato seges . 730
 Mortifera carpit gramina ac serpentium
 (serpentum : *A* ; serpentium : *E*)
 saniem exprimit miscetque et obscenas aves :
 maestique cor bubonis et raucae strigis
 exsecta vivae viscera . Haec scelerum artifex
 discreta ponit ; his rapax vis ignium , 735
 his gelida pigri frigoris glacies inest .
 Addit venenis verba non illis minus
 metuenda . Sonuit ecce vaesano gradu
 canitque. Mundus vocibus primis tremit .

740 842 Medea <Nutrix>

vers 740-751 : 12 tétramètres trochaïques

Medea

Comprecor vulgus silentum vosque ferales deos 740
 et Chaos caecum atque opacam Ditis umbrosi domum,
 Tartari ripis ligatos squalidae Mortis specus
 supplicis, animae, remissis currite ad thalamos novos :
 rota resistat membra torquens, tangat Ixion humum ;
 Tantalus securus undas hauriat Pirenidas ; 745
 Lubricus per saxa retro Sisyphum volvat lapis.
 Vos quoque, urnis quas foratis inritus ludit labor,
 Danaides, coite : vestras hic dies quaerit manus.
 Gravior uni poena sedeat conjugis socero mei.
 Nunc meis vocata sacris, noctium sidus, veni, 750
 pessimos induta vultus, fronte non una minax. 751
 Tibi, more gentis, vinculo solvens comam,
 secreta nudo nemora lustravi pede
 et evocavi nubibus siccis aquas
 egique ad imum maria, et Oceanus graves 755
 interius undas aestibus victis dedit ;
 pariterque mundus lege confusa aetheris

trimètres iambiques

et solem et astra vidit, et vetitum mare
tetigistis , Ursae. Temporum flexi vices :

aestiva tellus floruit cantu meo,

760

coacta messem vidit hibernam Ceres;

(vidit : ω ; fudit : *Hermann conjectit*)

violenta Phasis vertit in fontem vada

et Hister, in tot ora divisus, truces

compressit undas omnibus ripis piger .

Sonuere fluctus, tumuit insanum mare

765

tacente vento ; nemoris antiqui domus

(tacente : ω ; jacente : *Hermann conjectit*;)

amisit umbras , vocis imperio meae .

(amisit : *E* ; emisit : *M*)

Die relicto , Phoebus in medio stetit

(relicto : ψ ; reducto : *Leo correxit*)

Hyadesque nostris cantibus motae labant :

adesse sacris tempus est, Phoebe, tuis .

770

771-786 : *métrique : système iambique épodique*

Tibi haec cruenta sarta texuntur manu,

novena quae serpens ligat,

tibi haec Typhoeus membra quae discors tulit

qui regna concussit Jovis .

Vectoris istic perfidi sanguis inest,

775

quem Nessus expirans dedit .

Oetaeus isto cinere defecit rogos ,

qui virus Herculeum bibit .

Piae sororis, impiae matris, facem

ultricis Althaeae vides .

780

Reliquit istas invio plumas specu

Harpyia, dum Zeten fugit .

His adice pinnae sauciae Stymphalidos

Lernaea passae spicula .

Sonuistis, arae, tripodas agnosco meos

785

faventi commotos dea .

Video Triviae currus agiles,

787-815 : *métrique : anapestes*

non quos pleno lucida vultu

pernox agitat, sed quos facie

lurida maesta, cum Thessalicis	790
vexata minis caelum freno	
propiore legit . Sic face tristem	
pallida lucem funde per auras,	
horrore novo terre populos	
inque auxilium, Dictynna, tuum	795
pretiosa sonent aera Corinthi .	
Tibi sanguineo caespite sacrum	
sollemne damus, tibi de medio	
rapta sepulchro fax nocturnos	
sustulit ignes, tibi mota caput	800
flexa voces cervice dedi,	
tibi funereo de more jacens	
passos cingit vitta capillos,	
tibi jactatur tristis Stygia	
ramus ab unda ; tibi nudato	805
pectore maenas sacro feriam	
bracchia cultro . Manet noster	
sanguis ad aras : assuesce, manus,	
stringere ferrum carosque pati	
posse cruores : — sacrum laticem	810
percussa dedi . Quodsi nimium	
saepe vocari quereris votis ,	
ignosce , precor : causa vocandi,	
Persei, tuos saepius arcus	
una atque eadem est semper Jason .	815
Tu nunc vestes tinge Creusae,	anapestes monodiques
quas cum primum sumpserit , imas	
urat serpens flamma medullas .	
Ignis fulvo clusus in auro	820
latet obscurus, quem mihi caeli	
qui furta luit viscere feto	
dedit et docuit condere vires	
arte , Prometheus . Dedit et tenui	

sulphure tectos Mulciber ignes 825
 et vivacis fulgura flammae
 de cognato Phaethonte tuli .
 Habeo mediae dona Chimaerae,
 habeo flammis usto tauri
 gutture raptas, quas permixto 830
 felle Medusae tacitum jussi
 servare malum .
 Adde venenis stimulos, Hecate,
 donisque meis semina flammae
 condita serva ; fallant visus 835
 tactusque ferant, meet in pectus
 venasque calor, stillent artus
 ossaque fument vincatque suas
 flagrante coma nova nupta faces.
 Vota tenentur : ter latratus 840
 audax Hecate dedit et sacros
 edidit ignes face luctifera .

843 848 Medea, <Nutrix, nati Medeae>

— Peracta vis est omnis : huc natos voca, *trimètres iambiques*
 pretiosa per quos dona nubenti feram . (feram : ω ; feras : Bentley)
 Ite, ite, nati, matris infaustae genus, 845
 placate vobis munere et multa prece
 dominam ac novercam . Vadite et celeres domum
 referte gressus , ultimo amplexu ut fruar .

849 878 Chorus IV *dimètres iambiques catalectiques, anacloènes, tripodies iambiques*

Quonam cruenta maenas
 praeceps amore saevo 850
 rapitur ? Quod impotenti
 facinus parat furore ?
 Vultus citatus ira

riget et caput feroci
quatiens superba motu 855
regi minatur ultro .
Quis credat exulem ?

Flagrant genae rubentes,
pallor fugat ruborem,
nullum vagante forma 860
servat diu colorem .

Huc fert pedes et illuc,
ut tigris orba natis
cursu furente lustrat
Gangeticum nemus . 865

Frenare nescit iras
Medea, non amores ;
nunc ira amorque causam
juxtere : quid sequetur ?

Quando efferet Pelasgis 870
nefanda Colchis arvis
gressum metuque solvet
regnum simulque reges ?

Nunc, Phoebe, mitte currus
nullo morante loro, 875
nox condat alma lucem,
mergat diem timendum
dux noctis Hesperus.

879-890 Nuntius, Chorus

trimètres iambiques

Nuntius

Periere cuncta, concidit regni status .
Nata atque genitor, cinere permixto, jacent . 880

Chorus

Qua fraude capti ?

Nuntius

Qua solent reges capi :

donis .

Chorus

In illis esse quis potuit dolus ?

Nuntius

Et ipse miror vixque, jam facto malo,
potuisse fieri credo .

Chorus

Quis cladis modus ?

Nuntius

Avidus per omnem regiae partem furit , 885
ut jussus , ignis : jam domus tota occidit ;
urbi timetur .

Chorus

Unda flammas opprimat .

Nuntius

Et hoc in ista clade mirandum accidit :
alit unda flammas , quoque prohibetur magis ,
magis ardet ignis : ipsa praesidia occupat . 890

891 977 Nutrix, Medea, < Nati>

trimètres iambiques

Nutrix

Effer citatum sede Pelopea gradum ,
Medea, praeceps quaslibet terras pete .

Medea

Egone ut recedam ? Si profugissem prius ,
ad hoc redirem, nuptias specto novas .
Quid, anime, cessas ? Sequere felicem impetum . 895

Pars ultionis ista, qua gaudes, quota est ?

Amas adhuc, furiosa, si satis est tibi

caelebs Iason . Quaere poenarum genus

haut usitatum jamque sic temet para :

fas omne cedat , abeat expulsus pudor ; 900

vindicta levis est quam ferunt purae manus .

Incumbe in iras teque languentem excita

penitusque veteres pectore ex imo impetus

violentus hauri . Quicquid admissum est adhuc, (violentus *E* ; violenter : *Richter* ;)

pietas vocetur . Hoc age, et faxo sciant 905

quam levia fuerint quamque vulgaris notae

quae commodavi scelera . Prolusit dolor

per ista noster : quid manus poterant rudes

audere magnum? Quid puellaris furor ?

Medea nunc sum ; crevit ingenium malis : 910

juvat, juvat rapuisse fraternum caput ;

artus juvat secuisse et arcano patrem

spoliassse sacro, juvat in exitium senis

armasse natas . Quaere materiam, dolor :

ad omne facinus non rudem dextram afferes . 915

Quo te igitur, ira, mittis, aut quae perfido

intendis hosti tela ? Nescio quid ferox

decrevit animus intus et nondum sibi

audet fateri . Stulta properavi nimis :

ex paelice utinam liberos hostis meus 920

aliquos haberet ! — quicquid ex illo tuum est,

Creusa peperit . Placuit hoc poenae genus,

meritoque placuit : ultimum, agnosco, scelus (magno : *A* ; agnosco : *E*)

animo parandum est : — liberi quondam mei,

vos, pro paternis sceleribus poenas date . 925

Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu

pectusque tremuit . Ira discessit loco

materque tota conjuge expulsa redit .

Egone ut meorum liberum ac prolis meae

fundam cruorem ? Melius, a, demens furor , 930
incognitum istud facinus ac dirum nefas
a me quoque absit ; quod scelus miseri luent ?

Scelus est Jason genitor et majus scelus
Medea mater : — occidant, non sunt mei ;
pereant, mei sunt . Crimine et culpa carent , 935
sunt innocentes : fateor ; et frater fuit .

Quid, anime, titubas ? Ora quid lacrimae rigant
variamque nunc huc ira, nunc illuc amor
diducit ? Anceps aestus incertam rapit ;
ut saeva rapidi bella cum venti gerunt 940
utrimque fluctus maria discordes agunt
dubiumque fervet pelagus , haut aliter meum
cor fluctuatur . Ira pietatem fugat
iramque pietas . — Cede pietati, dolor .

— Huc, cara proles, unicum afflictæ domus 945
solamen, huc vos ferte et infusos mihi
conjungite artus . Habeat incolumes pater,
dum et mater habeat : — urguet exilium ac fuga .

Jam jam meo rapiuntur avulsi e sinu,
flentes, gementes osculis pereant patris ; 950
periere matris . Rursus increscit dolor
et fervet odium ; repetit invitam manum
antiqua Erinys . Ira, qua ducis, sequor .
Utinam superbae turba Tantalidos meo
exisset utero bisque septenos parens 955
natos tulissem ! Sterilis in poenas fui ;
fratri patrique quod sat est , peperit duos .

Quonam ista tendit turba Furiarum impotens ?
Quem quaerit aut quo flammeos ictus parat ,
aut cui cruentas agmen infernum faces 960
intentat ? Ingens anguis excusso sonat
tortus flagello . Quem trabe infesta petit
Megaera ? Cujus umbra dispersis venit

incerta membris ? Frater est, poenas petit : —
 dabimus , sed omnes . Fige luminibus faces , 965
 lania, perure, pectus en Furiis patet .
 Discedere a me, frater, ultrices deas
 manesque ad imos ire securas jube :
 mihi me relinque et utere hac, frater, manu
 quae strinxit ensem : victima manes tuos 970
 placamus ista. — Quid repens affert sonus ?
 Parantur arma meque in exitium petunt .
 Excelsa nostrae tecta conscendam domus,
 caede inchoata . — Perge tu mecum comes .
 Tuum quoque ipsa corpus hinc mecum aveham . 975
 Nunc hoc age, anime : non in occulto tibi est
 perdenda virtus ; approba populo manum .

978 1027 Jason , milites , Medea, <Nutrix > < Nati>

trimètres iambiques

Iason

Quicumque regum cladibus fidus doles ,
 concurre , ut ipsam sceleris auctorem horridi
 capiamus . Huc, huc fortis, armiferi, cohors , 980
 conferte tela , vertite ex imo domum .

Medea

Jam jam recepi sceptrum, germanum, patrem,
 spoliisque Colchi pecudis auratae tenent ;
 rediere regna, rapta virginitas redit .
 O placida tandem numina, o festum diem, 985
 o nuptialem ! Vade , perfectum est scelus,
 vindicta nondum : perage, dum fervent manus . (faciunt : ω; fervent *Damslé*)
 Quid nunc moraris, anime ? Quid dubitas potens ? (2 ponctuations possibles : ? avant ou après potens)
 Jam cecidit ira . — Paenitet facti, pudet .
 Quid, misera, feci ? Misera ? Paeniteat licet, 990
 feci ; — voluptas magna me invitam subit,

et ecce crescit . Derat hoc unum mihi ,
spectator iste . Nil adhuc facti reor :
quicquid sine isto fecimus sceleris perit .

Iason

En ipsa tecti parte praecipiti imminet . 995
Huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat
suis perusta .

Medea

Congere extremum tuis
natis, Jason, funus, ac tumulum strue :
conjuncti socerque iuncta jam functis habent ,
a me sepulti ; natus hic fatum tulit, 1000
hic, te vidente, dabitur exitio pari .

Iason

Per numen omne perque communes fugas
torosque, quos non nostra violavit fides,
jam parce nato . Si quod est crimen, meum est .
Me dedo morti ; noxium macta caput . 1005

Medea

Hac qua recusas, qua doles, ferrum exigam .
I nunc, superbe, virginum thalamos pete,
relinque matres .

Iason

Unus est poenae satis.

Medea

Si posset una caede satiari manus, (satiari manus : A; satiari haec manus *correxit Gronov*)
nullam petisset . Ut duos perimam, tamen 1010
nimium est dolori numerus angustus meo .
In matre si quod pignus etiam nunc latet,
scrutabor ense viscera et ferro extraham .

Iason

Jam perage coeptum facinus, haut ultra precor,
moramque saltem supplicis dona meis . 1015

Medea

Perfruere lento scelere, ne propera, dolor :
meus dies est ; tempore accepto utimur .

Iason

Infesta, memet perime .

Medea

Misereri jubes.

Bene est, peractum est . Plura non habui, dolor,
quae tibi litarem . Lumina huc tumida alleva, 1020
ingrate Iason . Conjugem agnoscis tuam ?
Sic fugere soleo. Patuit in caelum via :
squamosa gemini colla serpentes jugo
summissa praebent . Recipe jam gnatos, parens ;
ego inter auras aliti curru vehar . 1025

Iason

Per alta vade spatia sublimis aetheris,
testare nullos esse, qua veheris, deos .